

Christus propitiatorium proprio sanguine aspersum quo credentibus gratuita concedatur iustificatio (Rom 3, 21-26).

Qua in intentione atque activitate distingui possunt opus Christi hominis et opus Dei. Et opus Christi hominis ~~erat obedientia meritoria qua crucem accepit~~ erat obedientia meritoria qua crucem accepit et malum particulare sibi inflictum per victoriam voluntariam in sacrificium Deo oblatum commutavit. Opus autem Dei erat hanc particularem victoriam in victoriam universalem commutare; quare obedientem et merentem e mortuis suscitavit ut sacerdos in aeternum existeret omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae (Heb 5; 9).

At iustissimum fuit Dei consilium ut victoriam Christi particularem in universalem victoriam commutaret. Nam 'qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donavit?' (Rom 8, 32).

Et iustissimum etiam fuit Dei consilium ut Christus homo particularem victoriam haberet v. incensam quae in universalem a divina bonitate commutari posset. Decēbat enim Deum per passionem auctorem salutis consummare (Heb 2, 10). Ex eadem enim stirpe erat qui sanctificat et qui sanctificantur (v. 11). Quare similiter carni et sanguini participans (v. 14) debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse et tentatus, petens est et his qui tentantur auxiliari.

Quam sententiam de iustitia crucis et simplicissimam esse et facillime ex principiis S. Thomae deduci constat. Eam tamen confirmare placet tum ex S. Paulo tum ex S. Augustino.

Quaenam ergo est illa Dei iustitia, de qua loquitur Apostolus ad Romanos 3, 21.25.26? Eam esse affirmat R. P. Lyonnet, et rei biblicae peritissimus et huius quaestionis studiosissimus, activitatem divinam salvificam, promissionibus Abrahae factis fidelem, bonorum restauratricem. Exegesis vero fundat in Ps 142, 2, qui paulo ante (Rom 3, 20) citatur, qui locis parallelis illustratur (Is 45, 21; 46, 13 (LXX); 51, 5 (LXX); 56, 1; Ps 92, 7; 35, 7; 68, 28) et libro ~~in~~ Iubilaeorum (L, 5; 1, 15; 10, 3; 31, 25) et 4 Esdr 8, 36 et scriptis denique Sectatorum Qumran. Quam exegesis traditioni conformem pretios^a articulorum serie exponit. exposuit.

DePec 244

VerDom

Eandem Dei iustitiam declarat S. Augustinus cum scripserit:
^{vi}
'Neque enim omnipotens Deus... rerum cui summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malis' [Enchiridion XI, PL 40, 236]

Haec ergo theologica de gratia Dei concipienda evolutio
eatenus nostram de satisfactione quaestionem afficit quatenus
remissio peccatorum et gratiae collatio vel coniunguntur
vel separantur .